

semper cordi fuerit, ut quàm plurimos faceret cum ratione insanos.

GEBER. Qvis, obsecro, adeo divinus & sapiens inter homines vixit unquam, qui sceleratos & malignos non aliqua ex parte offenderit?

DEMO: Quid autem dicis, de multis sapientissimis, & vitæ quasi inculpatae, qui in eodem errore versantur?

GEBER. Scripsimus lib. primo, cap. 5. summæ nostræ, Hanc artem in divina potentia Dei, qui eam subtrahit aut largitur, cui vult, servari, qui est gloriosus & sublimis & omni justitia & bonitate repletus. Adhæc adjecimus quoque in calce, hujus libri, hanc artem nos eo artificio tradidisse, ut à nullo intelligi possit, nisi cui divinitus datum sit, aut à nobis, qui eam tradidimus, in hac edoctus.

DEMO: Quid opus erat, ea scribere aut publicare, quæ à nemine intelligerentur?

GEBER. In fine, quarti libri, aperte ostendi, me hanc artem tradidisse sermone claro & aperto prudentibus, & hujus doctrinæ filiis, ut diligentes artifices eam facile comprehendere & intelligere queant. Ignorantes vero admonui, ut eam fugerent, tanquam ipsis noxiam, inimicam & maxime adversariam, quæ facile ad extremam paupertatem summamque miseriam perducatur. Si tam fideli ac paternæ admonitioni non credunt, vel eam nihili faciunt, inique nos accusant, cum omnis error illorum ignorantia,

&